DE USU VAPORUM CHLOROFORMI OBSTETRICIO.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XXIX. M. MAII A. MDCCCXLVIII

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

HENRICUS MULERT

POMERANUS.

OPPONENTIBUS:

GUILELM. BERNHARDI, MED. ET CHIR. CAND.

EDUARD. FITZAU, MED. ET CHIR. CAND.

CAROL. SCHMIEDEN, STUD. JUR.

BEROLINI

TYPIS GUSTAVI SCHADE.

VIRO

ILLUSTRISSIMO, DOCTISSIMO, EXPERIENTISSIMO

J. H. SCHMIDT,

MED. ET CHIR. DR., PROFESSORI PUBL. ORDIN., REGIS A CONSILIIS MEDICIS INTIMIS, COMPLURIUM SOCIETATUM LITTERARIARUM SODALI, EQUITI ETC.

AC

PATRI

OPTIMO ATQUE CARISSIMO,

AD CINERES USQUE COLENDO

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

OFFERT

AUCTOR.

PROOEMIUM.

Periculum mihi tironi imminere videtur in opusculo quodam proferendo de materie adhuc nova, necdum satis perquisita, quam praeterea hoc potissimum tempore doctissimi viri atque maxime illustres tractant. Attamen non plane desperaverim, quum per semestre praeteritum saepissime occasio mihi sit data, rem illam, de qua scripturus sum, observandi, ac variis experimentis cum chloroformo in parturientibus factis tam assistens atque cooperans, quam adspiciens in nosocomio Caritatis affuerim.

Itaque quum ad summos in medicina et chirurgia honores adipiscendos dissertatio mihi conscribenda esset, operae pretium esse putabam, si illas observationes dissertationis materiam eligerem. Simul haecce mihi afferebat solatium

consideratio inter omnes auctores nemini majorem veniam dari, quam qui dissertationem conscribat inauguralem: partim quia cuique notum est, eum scribere debere, ut legi morique satisfaciat; partim, quia quod conscripsit opusculum, minus innotescit, si a paucis discesseris amicis atque cognatis, qui tironis vitia lubentius condonant; partim denique, quia alii, quibus auctor non notus, si forte perlegant dissertationem, idcirco jam lenius faciunt dijudicium, quod nulla falsi sunt exspectatione, nilque nisi parvum temporis spatium perdunt, quod nostris diebus a paucis tantum magni habetur. Unumquemque igitur, qui hanc dissertationem in manus sumat, ut, quae minus probanda videantur, virium juvenilium tenuitati imputet, nec ob horae unius jacturam auctori irascatur, oro rogoque.

Ad rem quam mihi proposui excutiendam non ineptum videtur, facta modo proferre et eventus experimentorum cum chloroformo factorum, ut, quod ex iis proficiscitur, complectar. Hic quidem duae mihi res contemplandae sunt, chloroformi usus scilicet primum in vulgari atque normali partu, arte non adjuvante, tum in singulis operationibus obstetriciis. Quem rerum ordinem secuturus singulas historias ex annotationibus prope parturientium lectum collectis atque elaboratis benevolenti lectori dijudicandas apponam. Praeterea ex experimentis numerosis, in aedibus Caritatis factis, ea potissimum eligam, quorum eventus dilucide atque aperte apparebant et quae ab initio usque ad finem diligentissime inspici poterant.

1. A. M. triginta tres annos nata, satis valida, valde ad congestiones propensa, multipara, ante annos sex et quatuor jam pepererat, et semper quidem facillime, graviditate normaliter finita, horis sex septemve interjectis. Ad hujus graviditatis finem interdum aegrotaverat et post lapsum adversum haemorrhagia per viginti quatuor horas perseverans cum orificio uteri aperto exorta erat; qua praeterita dolores in regione dorsali atque motus infantis nimii remanserant, quibus oppressiones pectoris et congestiones ad caput cum vertigine et pulsu tenso se

conjunxerant, qua de causa sexto die ante partum venaesectio facta valde eam relevaverat. Die tricesimo mensis Januarii hora matutina tertia parturiendi fecit initium; post horas ñovem orificium uteri magnitudine thaleri apertum, velamenta etiam praeter dolores tensa erant; caput infantis adhuc altum, ictus cordis in latere dextro 128, strepitus circulatorius placentae in latere sinistro inferiori; dolores satis vehementes trium vel quatuor minutarum in intervallis aequalibus ingruebant. Inhalationes hoc tempore institutae celeriter soporem adduxerunt; nisus per sex minutas plane evanuerunt, mox autem in intervallis trium vel quatuor minutarum redierunt, attamen non tam perseverantes et sine ulla doloris pronuntiatione. Quum primum post viginti minutas eadem satis aperta esset, inhalatione repetita et per quatuor minutas continuata, sopor perfectus rediit, quo facto nisus per novem minutas plane intermittebantur, et tunc in quatuor vel quinque minutarum intervallis minusque perseverantes, praeter nonnullos fortiores, redintegrabantur. Ita parturiens fere per dimidiam horae partem jacebat, priusquam simul cum nisibus sensus obtusi, atque inde exiguae doloris pronuntiationes exoriebantur, quas statim velamentorum ruptura secuta est. Eodem momento inhalatio iterum per quatuor minutas repetita est, sine ullo autem effectu in nisus, qui in duarum vel quatuor minutarum intervallis redeuntes, atque etiam tam fortes quam antea manebant, quamquam inhalatio iterum iterumque continuabatur; sensus quoque brevi tantum tempore plane deletus erat, quod ipsa parturiens mox confessa est, seu gemitu alto patefecit. Etiam sex minutarum inhalatio sine ullo erat effectu,

nam dolores pedetentim fortiores fiebant, parturiens vociferans sese jactare cruraque comprimere incipiebat, caput infantis dissecabat sub doloribus fortissimis; statim post horae partem sexagesimam humeri et corpus reliquum in diametro transversa propulsa sunt, ut totus partus horis duabus et dimidia finitus esset, quum placenta quoque facillime et sine dolore removeri posset. Evigilans interrogata, se per omne tempus, quo chloroformum inhalasset, nihil ingrati, et dolores interdum modo et quasi longe remotos sensisse, mater respondit.

Tunc plane sui conscia et sine molestiis erat, vespere tantum, priusquam dormivit, de stupore, et noctu de capitis doloribus in regione frontali, sine ardore tamen et vertigine questa est; sequelae praeterea nullae in puerperio, matris et infantis valetudine nihil turbata.

---

2. M. S. viginti quatuor annos nata, satis magna, gracilis, primipara, quae antea bona semper excelluerat valetudine, die vicesimo quarto mensis Januarii vespere parturiendi fecit initium; postero die mane orificium uteri magnitudine nummi duorum grossorum erat patefactum, hora sexta vespertina velamenta rumpebantur, et post horas duas caput paene insecabat. Nisus ternis minutis sese excipiebant et bona erant efficacia; dolores, qui eos consequebantur, a parturienti prudentiore vehementissimis referebantur, atque, ut alta voce vociferaretur, cogebant; pulsus 78, respirationes 24, ictus cordis infantis non reperiendi; strepitus circulatorius placentae in toto latere sinistro regionis uterinae, ad dextrum quoque latus expansus; caput infantis in situ occipitali primo sic dicto;

quum in vaginae introitum caput descendere inciperet, inhalationes sunt institutae et jam minuta dimidia sopor erat totalis, attamen per quinque minutas sunt continuatae; pulsus inde accreverunt ad 102, respirationes ad 36 in parte horae sexagesima, paullo post autem ad 90 et 28 decreverunt; parturiens suppressa voce et obscure secum loquens tamen bene se habere videbatur; statim cum inhalatione, sub finem nisus unius incepta, dolores plane evanuerunt et quidem per septem minutas; atque etiam qui tum sequebantur, brevissimi ac sine ulla efficacia. Paullatim autem in iisdem intervallis quam antea, minutarum duarum vel trium redierunt, et parturiens vires colligere et dolores pronuntiare incepit, obsecrans, ut denuo in soporem conjiceretur; jam post quatuor vel quinque inspirationes sine conscientia et sensu erat, quare inhalationes seponebantur; nullus autem in dolores effectus animadverti potuit, parva tantum uteri frictio nisum tam fortem genuit, ut infantis caput, quamquam permagnum, celeriter expelleretur, et jam tribus minutis post secundus eam sequebatur, quo humeri et corpus totum in lucem proferebantur infantis, statim voce intensa clamantis. Placenta paullo post remota mediocri cum matris dolore, simul sanguinis rubri unciae sex effluxerunt; tum uterus bene contractus; perinaeum plane servatum atque etiam frenuli minimum discissum. Mater paucis minutis post expergefacta valde erat gavisa, quod tam leviter ac feliciter partus erat finitus, atque ne minimum quidem dolorem se sensisse affirmabat; per horam adhuc levis ac parvus stupor, sine aliquo tamen capitis dolore remansit et noctu dolores ad partum secundinarum nonnulli exstiterunt, tum autem, somnus

gravis, atque praeter exiguam febrem lacteam in toto puerperio puerpera optime se habuit, ut vix in lecto retineri posset.

---

3. E. K. viginti annos nata, primipara, parva ac robusta, plethorica autem et irritabilis, noctu diei vicesimi septimi mensis Januarii primis correpta est doloribus; jam gravidam inquirentes ventrem permagnum et magnopere expansum videre potuerant, atque hebdomade demum postrema ante partum caput infantis facile supra vaginae introitum digito attingebatur; hora octava vespertina velamentis ruptis, quinta diei sequentis hora matutina caput infantis in vaginam descendere coepit; dolores vehementissimi binis minutis ingressi sunt; ictus cordis infantis in latere dextro ad medium ventrem 150 vel 155; strepitus placentaris in latere sinistro; pulsus matris 90. Statim, quum caput in secundo situ occipitali insecaret, inhalationes instituebantur Chloroformi; paucae satisfaciebant, ut parturiens sopiretur, post partem horae sexagesimam anaesthesia universalis jam aderat, attamen inhalatio continuabatur. Nisuum effectus animadverti plane non potuit; sicut antea in duarum minutarum intervallis, minutam perseverantes, a parturienti satis elaborabantur. Quinque circiter minutas inhalatione continuata destitimus, donec conscientia et sensus paullatim redire videbantur; tum parturiens iterum inhalavit, nonnullas autem inspirationes tantum; dolores vehementia aequales erant superioribus et duabus jam minutis post inhalationem postremam caput et simul cum eo corpus reliquum infantis plane conformati, sed ponderis tantum librarum quatuor et dimidiae in lucem prolatum est. Post tres minutas,

dum in alia parturienti occupati sumus, nisibus novis sine ulla parturientis sensu placenta satis magna, atque eodem fere momento secundus infans, multo minor, ponderis modo duarum librarum, pedibus praecedentibus expulsus est et quidem usque ad humeros, quos deinde caput et brachia auxilio minore adhibito sequebantur; uterque vivebat, uterque autem imbecillimus erat; uterus celeriter et fortiter contrahebatur; haemorrhagia minima; perinaeum est servatum, frenulum solum incisum. Quinque demum minutis post mater sui conscia magnopere mirabatur, geminos se peperisse, nihil se sensisse narrans; postea quoque bene se habuit praeter sensum vertiginis et oppressionis in capite, cui vespere rubor adhuc faciei atque temperies adaucta accessit, quae mala fomentis ex aqua cum aceto paratis evanuerunt, atque inde somnus tranquillus et valetudo minime turbata, excepto vasorum erethismo.

---

4. M. K. triginta annorum, multipara, forma parva, sana semper ac robusta, quater jam partu defuncta et quidem semper normaliter, in postremis partus stadiis tantum doloribus maximis vexata, die quinto decimo mensis Februarii primos sensit dolores, qui ad diem sedecimum valde accrescebant ac frequentiores fiebant, ut hora decima ante meridiem orificium uteri fere magnitudine thaleri esset apertum, attamen irregulare atque distortum, labia adhuc satis crassa: dolores minus vehementes in sex vel septem minutarum intervallis sese sequebantur, et inter eos velamenta propulsa, neque vero tensa sunt; in intervallis parturiens libera erat dolore; pulsus mollis, plenus, 84 vel 88; respirationes 24; stre-

pitus placentaris in latere sinistro et inferiori supra regionem inguinalem; ictus cordis infantis 128 in parte superiori ad medium. Sub horam secundam labia orificii uteri plane erant extenuata; dolores in intervallis unius et dimidiae seu duarum, seu trium et dimidiae minutarum recurrentes, vel brevissimi, vel per dimidiam tantum seu unam minutam perseverantes. Parturiens adhuc satis tranquilla etiam inter dolores, paullatim conturbata, sese jactare et de majoribus queri incepit doloribus; intervalla inter singulos dolores accreverunt, etiam ad quatuor vel quinque minutas, donec hora tertia velamentis ruptis per orificium uteri plane apertum, proportio anterior rediit; parturiens, quae ab initio repugnans tantum atque multum rogata chloroformum adhiberi concesserat, tum doloribus vehementissimis vexata, quos multo majores esse dixit quam in partu primo, ut quam celerrime sopiretur, obsecravit. Inhalationibus per quatuor minutas institutis, post unam jam et dimidiam minutam sine ulla fuit conscientia et sensu, pupilla dilatata, pulsus idem quam antea (84), respirationes autem adauctae (33); uterus plane relaxatus et expansus sentiri potuit, et quinque demum minutis post inhalationem inceptam primus apparuit nisus cum gemitu exiguo, quem in duarum minutarum intervallis alii sequebantur; quarto praeterlapso parturiens sui conscia fieri videbatur; interrogata, sese adhuc nihil sensisse respondit, quare inhalatio repetita est et iterum quidem atque iterum quod saepe anaesthesia diminuebatur; nisus fere iidem, ne minimam quidem partem efficaciae amiserunt, ita ut hora quarta infans expulsus esset. Statim post partum expergefacta, quum plane sui conscia esset, se dolores omnino nullos, sed postremo

tantum sensum pressus obtusi habuisse dixit; eorum, quae interrogata responderat, plane erat inscia. Placenta facile extrahi poterat sine ulla fere haemorrhagia, atque uterus bene contrahebatur. Mater sine ullis molestiis paullo post somno alto gavisa est; puerperium totum normale; infantis valetudo minime turbata.

---

5. A. L. viginti tres annos nata, primipara robusta et plethorica, die vicesimo nono mensis Januarii parere incepit; media nocte orificium uteri satis apertum; dolores vehementissimi alter alterum fere sine intervallis sequebantur; velamenta semper tensa; pulsus matris 82, ictus cordis infantis in latere inferiori dextro, maxime perspicui 132, strepitus placentaris in latere sinistro; secundus situs occipitalis. Nisibus fortissimis cum dolore vehementissimo velamenta mox rupta sunt, et post duas minutas caput jam incidere coepit, unde inhalationes institutae parturientem celerrime sopiebant, atque tres etiam minutas continuabantur; pulsus 76, anaesthesia totalis etiam nisus plane evanuerunt et quidem per septem minutas; tum in intervallis unius vel duarum minutarum redintegrati, mox caput nec multo post reliquum quoque corpus infantis expulerunt, parturienti ne minimum quidem dolorem moventes. Paullo post viribus recuperatis omnino reminisci non potuit partus praeteriti; placenta facile extrahenda, haemorrhagia fere nulla, uterus bene contrahebatur, puerperium normale, febris lactea tantum per dies nonnullos exstitit, quum mater omnino infanti mammam praebere recusaret.

---

6. J. K. viginti tres annos nata, primipara, parva, robusta, pelvi paullulum obliqua, diuturnis jam vehementibusque capitis doloribus vexata, qui primis graviditatis mensibus etiam aucti, tempore postremo plane non redierunt; jam in exploratione obstetricia interna valde sensibilis et pertinax, quod multo manifestius apparuit, quum dolores primi intrarent. Tantam ostendit impatientiam, ut frustra verba fecerimus, neque illam in lecto retinere potuerimus; in intervallis tranquilla, statim, quum dolores inciperent, altissima voce vociferabatur, qui clamor cum doloribus adauctis in mugitum vehementissimum denique abiit; e lecto desiliens humi se circumvolvit, quibuscunque viribus pressit, quamquam omnes dehortabantur; quae omnia cum singulis doloribus ad multo majorem etiam gradum adaucta sunt, ut postremo etiam in intervallis deliraret, et magna solum vi in lecto retineri posset. Velamenta rupta sunt, priusquam orificium uteri satis apertum erat; deinde autem celeriter dilatabatur et caput, ab initio in symphysi ossium pubis subsistens, paullatim in vaginam depulsum est. Exploratio exacta pulsuum, ictuum cordis infantis et strepitus circulatorii fieri non potuit propter parturientis ferocitatem, nec interna exploratio ab ea concedebatur, quare inhalatio, ab initio jam ab ea petita, instituebatur; dolores, quantum constitui potuit, adhuc singularum binarumve minutarum fere iidem manserunt post inhalationes, quibus una et dimidia minuta jam parturiens plane sopiebatur; propterea quoque destitimus, et intervallis tantum minutarum nonnullarum praeterlapsis, illas repetebamus, minore quidem chloroformi quantitate. Quo modo intervalla regularia minutarum duarum et nisus fortissimi fiebant, parturiente premendo

atque inspiratione retenta adjuvante, dum tantum erat soporata, ut interrogata respondere quidem tentaret, nihil autem proferre posset et sine sensu procumberet. Postremo intervalla iterum plane evanuerunt; nisus vehementissimus, quatuor fere minutarum, caput et corpus totum infantis expulit, et mirum certe, quamquam rima pudendi angustissima et caput infantis satis magnum erat, tamen nihil perinaei, experimenti causa plane non fultum, discissum praeter frenulum labiorum. Quinque demum minutis post infantis partum mater expergefacta est, rerum praeteritarum plane ignara, obsecrans, ut tandem ab infante liberaretur. Quum placenta extraheretur, status superior rediit, denuo clamavit atque maxime agitata et idcirco iterum chloroformo sopita est; quo facto facile placenta removeri poterat, uterusque mox bene contrahebatur.

---

7. A. S. annorum viginti duorum, parva, satis valida atque robusta, primipara, tertio die mensis Januarii sub meridiem primis doloribus afficiebatur; quinto demum die ejusdem mensis orificium uteri magnitudine thaleri apertum, dolores infirmi erant et sine efficacia, vires parturientis valde exhaustae. Sub quartam horam velamenta rumpebantur et infantis caput in pelvim intrabat. Dolores rari atque infirmi caput usque ad octavam horam vix ad pelvis exitum protulerunt, quod digito examinanti sub doloribus vix appropinquabat. Quare forcipem applicare aptum visum est. Ictus cordis infantis infirmus atque rarus in dextro latere ventris, sicut strepitus circulatorius placentae in eodem latere quam apertissimus audiebatur. Situs erat secundus occipitalis, Chloroformi

inhalatio forcipem praeibat, qua re parturiens una minuta sui conscientia et sensu privabatur. Inhalationes tamen sex fere minutas continuatae, donec sopor incipiebat, tum intermissae modo in intervallis repetebantur. Forceps facile applicabatur; una cum tractionibus contractiones uteri inceperunt. Duabus minutis praeterlapsis post forcipem applicatam, sedecim ergo minutis post inceptas et decim minutis post finitas inhalationes, primus ingruit dolor vehemens, sub quo parturiens nonnihil mugiebat. Post externas frictiones regionis uterinae tribus minutis praeteritis secundus dolor et iisdem temporis intervallis tertius et quartus, quo venter valde contrahebatur, exstitit. Tandem infans natus est, postquam caput ejus decem fere minutas immobile manserat. Infans erat mortuus nec in vitam revocandus. Post decem fere minutas mater expergefacta de rigore querebatur, sed brevi viribus collectis sui conscia reddebatur. De infante nato nihil omnino sciens brevi in somnum incidit et tum expergefacta se valde capitis dolore affici dixit, qui usque ad secundum diem modicus perdurabat. Alioquin puerperium plane erat normale, ita ut jam nono die puerpera valetudinem recuperaret.

---

8. C. L. multipara, viginti octo annos nata, satis robusta, optima semper valetudine fructa, novem annis ante primo infantem septem mensium, tum tres infantes pepererat. Partus semper difficiles fuerant. In tertio infantis ob situm obliquum versio erat necessaria. Diversa prioribus graviditatibus modo omnino ultimis mensibus recubare non potuerat, nec hoc tempore ullum infantis

motum senserat. Uterus erat latissimus, in parte superiore dextra et in inferiore sinistra majores, in parte sinistra superiore dilucide minores partes infantis jacebant. Cordis ictus inveniri non potuit, strepitus placentaris in sinistra parte inferiore. Dolores duodecimo die mensis Februarii nocte inceperant, sequente vespere vehementissimi erant, sine omni libero intervallo. Caput tantum paullatim processit, velamenta rumpi noluerunt et sicut in quoque priore partu externe apparuerunt. Quare arte adjuvante sub primam horam velamenta rumpebantur et brevi post infans robustus in primo situ occipitali natus est. Venter parturientis in sinistra parte per tempus aliquod vacuus reddebatur, dum in dextra parte perspicue infantis membra animadvertuntur. Brevi post secunda velamenta processerunt, per quae tamen infantis partes assequendae non erant. Sub tertiam horam et dimidiam velamenta rupta sunt, et infans in primo humeri situ inveniebatur, quare versio indicabatur. Dum versionem conantur, uterus tam vehementer se contraxit, ut manus operans progredi non posset et parturiens simul se maximis doloribus affici clamaret. Tum chloroformo inhalato dimidia minuta parturiens in soporem incidit, quocum contractiones desierunt et uteri relaxatio talis incepit, ut facile uterque pes capi et versio una minuta et dimidia perfici posset; interea inhalationes continuo repetebantur. Inter tractiones pedum nisus incepit, quo venter valde est contractus, quem brevi complures sequebantur, quibus juvantibus infans jam post septem minutas natus est, quamquam utrumque brachium solvendum erat. Infans vivebat et statim vehementer clamabat. Utraque placenta facile dimota, uterus celeriter valdeque se contraxit.

Exigua modo haemorrhagia accidit. Enixa dimidiam horam etiam conscientiae expers, tum expergefacta leviter se vertigine affectam sensit, secundum infantem esse natum plane ignorans, nec ullos dolores se percepisse affirmans. Puerperium erat normale, sicut ambo infantes pari valetudine et robore fruebantur.

---

9. W. Sch. triginta annos nata, multipara, quae jam ter difficillime pepererat. In praesenti graviditate semper aegrota erat et in secundo mense hepatitide aegrotabat, semper valde cordis palpitatione, inde a quarto mense magno dolore in dextra uteri parte vexata, ubi perspicue infantis membra animadvertebantur. Narcoticis frustra utebatur, venaesectio vero relevationem parabat. Nono decimo die mensis Februarii prima hora meridiana primi dolores apparuerunt. Vesperi per orificium uteri apertum in anteriore parte supra symphysin ossium pubis infantis caput sentiebatur, post quod supra orificium uteri mollis massa, quae postero die mane orificio uteri plane aperto, per velamenta ut funiculus umbilicalis manifeste pulsans exhibebatur. Praeterea promontorium profundum erat et valde eminebat, qua re conjugata diminuta et versio indicata est. Parturiens igitur in lecto transverso posita Chloroformum inhalavit. Post quinque minutas anaesthesia atque animi defectus aderat; pulsus 72 paullo post ad 92 aucti sunt; quinta minuta operatio methodo de Delleurye est incepta; uterus plane relaxatus; facillime pedes corripi ac detrahi, deinde autem difficillime evolvi potuerunt, ut fere septendecim minutae praeterirent, priusquam corpus totum in lucem prolatum est,

quia dolores per totum spatium non redibant; ictus cordis infantis satis adhuc fortes, et funiculus umbilicalis quoque pulsavit, tamen respirationes progignere non contigit; infans erat mortuus; sex minutis post placenta solvi potuit; haemorrrhagia modica; mater optime se habuit.

---

9. O. S. triginta duorum annorum, multipara, debilis misera, inopia valde afflicta, die vicesimo primo mensis Januarii doloribus correpta est; regio uterina admodum expansa, membra infantis distincta, ac per orificium uteri ad latus dextrum pars minor juxta caput altum adhuc ac mobile sentiri potuerunt, quo versio indicata per orificium plane apertum suscepta est; ictus cordis infantis in latere dextro inferiori, strepitus placentaris in latere superiori sinistro, pulsus matris 72. Chloroformi inhalationibus adhibitis, narcosis perfecta jam duabus minutis post aderat, pulsus matris 78, manus introducta cubitum sinistrum praejacentem invenit, quinque minutis post pes sinister, doloribus omnino deficientibus, evolutus est, proptereaque Chloroformum intermissum, et jam post duas minutas nisus satis fortis a parturienti valide elaboratus est, sine conscientia tamen et ullo doloris signo, cutis anaesthesia perfecta. Infantis evolutio celeriter ad finem perducta est, brachium alterum tantum liberandum magnam praebebat difficultatem, caput quoque propter magnitudinem statim non persecabat, praecipue propter nisus deficientes, qua de causa forceps adhuc ad caput applicata est, atque hoc modo infantem viventem proferre contigit; placenta facile removeri potuit, quo facto uterus bene contrahebatur; mater, cujus pulsus inter inhalationes

98 atque etiam 108 erant, quae etiam interrogata signis responderat, ne minimum quidem totius operationis senserat. Puerperium plane normale praeter languorem et majorem pulsuum frequentiam cum facie rubra per dies duos.

---

10. A. F. parva, robusta, triginta annos nata, primipara, die nono mensis Februarii primos sentiebat dolores et jam mane diei sequentis orificio uteri plane aperto, velamenta rumpebantur; caput in prima diametro obliqua situm in symphysi ossium pubis innisum erat, ut nisus, etiam fortissimi nihil efficere possent; dolores praeterea vehementissimi, pulsus 78, ictus cordis infantis 136, in regione umbilicali sinistra, ibidem strepitus placentaris, intervalla inter dolores singulos quatuor, quinque vel sex minutarum; simul nausea, vomitus et haemorrhagia parva; quia caput ne minimum quidem praecedebat, Chloroformo a parturiente ipsa iterum iterumque petito, inhalato forceps applicanda esse videbatur; inhalatione trium minutarum anaesthesia perfecta et animi defectus operationem incipiendam indicarunt; orificium uteri plane relaxatum, intervalla diuturniora, etiam octo vel novem minutarum erant; forcipis applicatio difficillima serius demum contigit, quia caput altius adhuc sistebat; inter tractiones parturiens magnopere perturbata, manibus genitalia corripere seu sudarium Chloroformo imbutum ab ore avellere tentavit; denique caput, funiculo umbilicali circa collum circumvoluto prolatum est, quod post quinque minutas nisu fortissimo corpus reliquum sequebatur; thorax magnopere erat compressus, ictus cordis autem audiri adhuc poterant; mox tamen, quamquam diligentissime studeba-

mus respirationes gignere, paullatim fiebant imbecilliores et denique plane desinebant. Placenta facile remota, uterus bene contrahebatur; matris valetudo nihil est turbata, nisi tussi ac doloribus pectoris exiguis.

---

11. F. K. viginti annorum, satis robusta, primipara, vicesimo secundo die mensis Februarii primis affecta est doloribus, collum uteri evanidum, orificium, magnitudine nummi duorum grossorum, noctu nisibus fortioribus plane est dilatatum, velamenta fere extra genitalia apparuerunt; pulsus sexaginta duo, respirationes viginti septem, ictus cordis infantis 120 in latere dextro, strepitus placentaris in sinistro; velamentis manu ruptis, caput infantis in pelvis exitum processit, sed dolores, quamvis valde frequentes in duarum minutarum intervallis sese repeterent, perbreves tantum erant atque sine efficacia, unde caput ne paullulum quidem progressum est. Ipsa parturiens graviter lamentans, ut quam celerrime Chloroformo sopiretur, rogavit, et quum forceps indicata esse videretur, diutius non dubitatum est; dimidia Chloroformi drachma satisfecit ad soporem cum anaesthesia gignendum et quidem duabus jam minutis; parturiens tranquilla interrogata adhuc respondebat, obscure autem ac languide, atque se doloribus magnis vexari contendebat, idque etiam praeter nisus, ita ut conscientia deesse videretur; nisus in iisdem intervallis, quam antea, etiam sine efficacia; pulsus 60, respirationes 32; quum interdum parturiens ingemisceret, inhalationes iterum institutae sunt drachmae dimidiae, status autem plane idem quam antea; neque tamen dolores sibi esse dixit, sed omnibus viribus tantum se premere debere, licet vim fere nullam haberet. Capiti quum prorsus

locum obtineret, quamvis inter labia pudendi externa fere videri posset, forceps denique applicata est et facillime quidem; tres satisfecerunt tractiones, ut in lucem proferretur, et nisum fortiorem truncus quoque sequebatur; funiculus umbilicalis arctissime collo circumvolutus certo accusandus erat, quod infans, omnino coeruleus, mortuus esse videbatur, mox autem, ut in vitam revocaretur, contigit; placenta facile soluta, uterus bene se contraxit. Puerperium sine ulla turbatione finiebatur.

---

12. C. Pr. viginti unum annos nata, primipara, die duodecimo mensis Februarii doloribus affecta, postridie circa meridiem orificium uteri magnitudine nummi octo grossorum praebuit; caput in parte antica in symphysi ossium pubis innisum; dolores vehementissimi, frequentes; ictus cordis infantis nusquam audiendi. Hora quinta pomeridiana velamentis ruptis, subito brachium dextrum juxta caput prolapsum, unde versio indicata est; parturiens celerrime in lecto transverso posita, una jam minuta Chloroformo omnino sopita est; ego ipse versionem feci et quidem manu sinistra ad pedem sinistrum; dolores ab initio fortissimi, ut manus vehementer compressa progredi fere non posset, paullatim plane desierunt; perspicue sentiebam, quomodo uteri parietes magis magisque relaxarentur, donec denique facillime pedem corripere ac detrahere possem; tractiones denique dolores revocarunt, quibus adjuvantibus, quum brachia sine ulla difficultate liberarentur, facillime et satis celeriter infantis evolutio contigit praeter caput, quod propter magnitudinem ac pelvis exitum angustum prorsus proferri non potuit. Qua de causa forcipe applicata, mox extrahebatur; infans

mortuus erat; funiculus umbilicalis ab initio quidem pulsans, priusquam brachia liberarentur, pulsare jam plane desierat, et frustra studuimus per horam eum in vitam revocare. Mater, statim post infantis partum et placentam remotam expergefacta ne minimum quidem totius operationis se sensisse contendebat. Puerperium omnino normale praeter metritidem levem ac facile hirudinibus 25 ad locum affectum appositis sublatam.

---

13. C. G. viginti sex annorum, gracilis, pallida ac debilis, primipara, tertio die mensis Februarii parere incepit; doloribus fortissimis noctu jam, orificio uteri paullum adhuc aperto, velamenta rumpebantur, deinde autem dolores, quamquam valde vehementes fere sine ulla erant efficacia; orificium uteri quidem paullatim magis magisque dilatabatur, tum vero caput omnino non propellebatur, atque ita forceps applicanda esse videbatur, praecipue quum ictus cordis infantis debilitarentur, pulsus matris 100 vel 116, ictus cordis infantis in latere dextro et proxime infra hunc locum strepitus placentaris. Chloroformo adhibito quatuor minutis parturiens plane erat sopita, et nisus quoque desierunt, donec forceps applicaretur, unde in minutae unius intervallis sese repetebant; parturiens quidem tranquilla sine conscientia, respiratione stertorosa; pulsus 90; octo minutis post infans totus natus erat, statim alta voce vociferans, quo facto mater brevi tempore sese recepit.

Finita igitur experimentorum relatione, quae inde proficiscantur, complectamur et in communi atque normali partu chloroformi usum consideremus. Qua in re

ante omnia primum est constituendum, num Chloroformum dolores tollat, nec ne. E plurimis factis, quae quidem ad id plane dirimendum numero non sufficiunt, patet Chloroformo, si eodem non solum uteris, ut parturientem in soporis atque insensibilitatis statum conjicias, quod jam fere dimidia vel una minuta fieri solet, sed si inhalationes continuas, donec fere respiratio stertorosa et totalis virium collapsus accidat, dolores aut plane tolli, aut saltem valde retardari atque debilitari. Vidimus dolores, qui antea singulis vel binis minutis acciderant, posteaquam parturiens per quatuor vel sex minutas Chloroformum inhalaverat, non modo per illud tempus, sed etiam sex minutas atque diutius institisse; aut dolorem, si hoc tempore esset ortus, sine ullo momento, minima perseverantia, sine ulla efficacia fuisse, ita ut eum vix debilem uteri contractionem appellares. Aliud accidit, si Chloroformo minore tantum quantitate et in brevius tempus uteris, ergo ita tantum, ut parturiens sui conscientiam perdat atque torpeat, de quo facile tibi persuadere potes explorans, num in acus puncta reagat, quo in statu singulae ita in se dominantur, ut interrogata audiant et respondere conentur, quare inhalationes aut minimum, aut nihil valent in vim vel numerum dolorum, qui eodem modo oriuntur, idemque efficiunt, etiamsi quidem saepius minus vehementes praetereant, ita ut parturiens modo nihil omnino sentiat, modo sciat quidem, se nisu affici, quem etiam premendo adjuvat, sed dolorem nisus non sentiat. Alias parturiens leviter ingemens annuntiat, se saltem aliquid sentire, ita tamen, ut dolores describere non possit, qui eam, quamquam animi est expers, tamen cogunt premendo eos adjuvare.

Si quis igitur interrogat, utrum Chloroformo in normali partu sit utendum, nec ne, equidem persuasum habeo e Chloroformi usu in normali partu nihil utile sequi, nisi quod parturientis dolores atque labores subleventur et quam plurimum tollantur. Locus mihi non datur recurrendi in veteres illas controversias, num dolores partus sint necessarii, nec ne; num quid consentaneum, an naturae contrarium sint; num scriptura sacra eos plane tolli vetet, nec ne, quare modo causas perquiram, quae nos commovere possint, ut etiam in normali partu Chloroformo utamur. Primum patet nobis satis esse debere, si plenam anaesthesiam comparaverimus, nam quid in normali partu retardatio aut dissolutio dolorum prosit? quid aliud eo consequamur, nisi quod partum totum in progressu impediamus atque retardemus? Praeterea partum progredientem considerantibus nobis atque videntibus, in primiparis praecipue, quae gravissime doloribus et molestiis afficiuntur, saepe multos dies noctesque praeterire, donec infans nascatur, certe spectanda sunt ea, quae ex usu Chloroformi sequantur, si parturientem tam diu continuo in torpore teneamus. Quis audeat duorum hominum vitis periclitari?

Quid vero prosit, si parturiens modo interdum, certis fere unius horae intervallis Chloroformum inhalans, per nonnullas minutas doloribus liberetur, qui paullo post eo majores atque acriores reddantur. Unicum tempus, quo mea ex sententia Chloroformo in normali partu uti possis, est tertium partus spatium, inde a momento, ubi caput incidit et nisus semper multo vehementiores atque perseverantes sunt. Quod mihi quidem magni sane ponderis esse videtur, quum parturienti, quae saepe diuturnis atque

acerrimis laboribus defatigata est, dolores, qui cum unoquoque nisu acriores redduntur, subleventur aut plane tollantur.

Parturientes vero ipsae, quae saepe jam primo partus spatio vehementer petunt, ut Chloroformo utamur, quod saepissime primiparae et quidem minus liberales faciunt, in re ipsa dijudicanda non exaudiendae sunt.

Si igitur indicationes Chloroformi adhibendi in partu normali constituamus, haecce fere sint: stadium tertium inceptum; dolores acriores parturientis majoribus jam defatigatae laboribus, quibus hucusque defuncta est; nimia perturbatio atque impatientia ejusdem, etiam cum exagitatione febrili conjuncta. His in rebus Chloroformi jam quantitas minor sufficiat, anaesthesia tantum et sopore provocatis. Memoratu digniores sine dubio sunt conditiones, quum nisus non solum valde dolorifici sint, sed etiam frequentius alter alterum sequatur, ita ut temporis intervalla vel brevissima sint, vel omnino evanescant; hisce in casibus non satisfaciat anaesthesia producta, sed continuandae sunt inhalationes, et persaepe quidem, ut nisus, antea, quamquam frequentissimi, tamen sine ulla efficacia, multo plus efficiant, quum rarius intrent.

Porro inhalationes quoque ad majorem soporis gradum sunt continuandae, quae gravissima mihi indicatio esse videtur Chloroformi adhibendi, si nimia nisuum efficacia, igiturque timendum est, ne partus nimis festinetur, aut si genitalia externa rigidiora sunt, atque ea de causa optandum est, ut capite paullatim admovendo magis magisque antea praeparentur atque molliora fiant. Hic quoque simul observandi occasio nobis data est, hac ratione Chloroformi adhibendi musculos genitalium et perinaei

expansibiliores, evadere ac minus dilacerari, ita ut nonnullarum primipararum, quamquam rima pudendi angustissima, infantisque caput satis magnum erat, et perinaeum plane non sustentabatur, nihil amplius divelleretur quam frenulum, atque hoc etiam bis servatum est. At in hoc spatio Chloroformum non tantum valet, quam in prioribus; nisus paullum tantum et raro vi decrescunt, et perraro tantummodo intervalla inter singulas diuturniora fiunt quam antea.

Multo majoris momenti Chloroformum est in operationibus obstetriciis, non modo propterea, quod dolores in illis lenit vel tollit, qua re ejus inventio maximam in chirurgicas operationes vim obtinuit, quod in his unicum illud respicitur; sed etiam quod nobis ipsis in operatione instituenda tantum fert auxilium, ut in singulis casibus, nisi illius ope, operatio institui non possit. Hic quidem quum tantum de ejus vi, qua dolores tolluntur, dicere liceat, hujus generis commoda, quae nobis in singulis operationibus affert, quam brevissime exponenda sunt.

Summam sine dubio utilitatem parat nobis in versione, quae e gravissimis est in arte obstetricia operationibus, et in duplici manus machinatione, quae cum illa cohaeret. Ex quo tempore duae illae operationes in arte obstetricia innotuerunt et institutae sunt, optatum et interdum laboratum est, ut remedium aliquod exstaret vel inveniretur, quo dolores, qui in omni fere casu molestiam efficiendae versioni vel impedimentum afferunt, in aliquod tempus removeri vel minui possent. Postquam igitur omnis adhuc opera irrita fuit, Chloroformum tandem remedium inventum est, quod certe ex parte postulationibus satisfacit, uti variae observationes docent.

Jam de Chloroformi in partu normali usu agens commemoravi, vim illius dolores tollentem nisi primis momentis certo exspectandam non esse; quum autem caput aut alias pars praejacens inciditur, postquam igitur aqua defluxit, dolorum vis paullo fere minuitur, numerus vero stabilis manet. Summa itaque est utilitas, si satis mature ad parturientis lectum venimus, ut indicationes in tempore cognoscantur et ratio ad eas instituatur, id quod jam in versione per se observandum est, quare eadem a Deleureusii modo magnam praestantiam habet. Ubi semel postquam fortasse compluribus horis antea aqua defluxit, uterus arcte circa infantem contractus est, valde est dubium, num quid adhuc Chloroformo effici et contraria vis, quam uteri parietes manui inducendae opponunt, tolli possit. Ut usum ejusmodi consequerer, mihi non contigit, quia in nosocomio, sicut in omni instituto obstetricio, ubi parturiens per omne tempus medici curae custodiaeque commissa est, casus illi vel similes non eveniunt. Hoc quidem experimentis explicare privatae est praxis, ubi nonnullarum obstetricum negligentia, quod sane dolendum, saepissime justo serius medicus ad parturientis lectum vocatur.

Etsi vero in tempore, ubi fortasse aperto uteri orificio aqua nondum defluxit, versio tentatur atque incipitur, crebris tamen uteri contractionibus, quae sempiterna parietum ejus irritatione nec facile medici manui vitanda deesse non possunt, tantum impedimentum illi afferri solet, manus primum inducta adeo saepe fatigatur vel debilitatur, ut ad finem venire non liceat et altera manus inducenda sit, quae in casibus difficilibus non multo plus efficit. Quis igitur in tali casu Chloroformum adhibere

dubitet, praesertim quum jam tot casus ante oculos positi sunt, ubi secundus fuit adhibitionis eventus? Si manus jam antea, quam parturiens Chloroformum spirare coepit, inducta et crebris nimiisque doloribus hujus experimenti necessitas allata est, facillime temporis momentum manu percipere licet, quo Chloroformi vis ad uteri musculorum fibras pertinere coepit; sentimus, illum magis magisque relaxari; manui, quae antea arcte contra infantem pressa erat nec porro procedere poterat, paullatim minus resisti, ita ut tandem ad eam partem, ad quam volebamus, facillime pervenire possimus. Hic quidem infantis extractionem solito post versionem fieri oportet, quia dolores, etiamsi statim finita versione Chloroformi inhalationes omittuntur, per tempus aliquod omnino deesse solent, expulsio ergo infantis naturae permitti nequit; haec vero eo valde adjuvatur, quod statim post primas tractiones majore irritatione uterus denuo agere coepit, donec dolores paullatim vim priorem assequuntur.

His pensitatis mihi quidem certe in hac una operatione obstetricia Chloroformi usus confirmatus esse videtur; aliis quidem quaestionibus experimentisque eventus illi comprobandi sunt. Sine dubio autem attendendum est, versionem semper esse operationem, quae violationem quandam ac vim justae et legitimae partus rationi inferendam postulet, et praeter solitos partus dolores alios et vehementes secum ferat, qui ut leniantur vel omnino removeantur, diligenter semper studere debemus.

Jam ad aliam operationem forcipe instituendam si transimus, longe aliter res se habet; commoda, quae hic e Chloroformo veniunt, non modo multo sunt minora quam in versione, verum etiam prorsus evanescunt, neque

alia, cur adhibeatur, restat causa, nisi ea, quae in partu normali locum habet, ut parturientis dolores leniantur vel tollantur. In omni operatione forcipe instituenda tantum abest, ut impedimentum nobis afferant dolores, vel admovendae forcipi obstent, ut operationem multo faciliorem reddant, quia tractiones juvant. Quam saepe non applicetur forceps, quum exigui sint dolores parturientis vel propemodum deficiant! Nonne igitur plane absurdum fuerit, si Chloroformi usu qui resident dolores funditus tollantur? Num quid optatius nobis fuerit, quam ut majore in tractionibus irritatione uteri parietum contractiones intendamus et augeamus? Quare nulla est causa, cur Chloroformum in operationibus forcipe instituendis adhibeamus, nisi ea, ut parturientibus, quae tantopere excitari solent, ut suasu et consolatione medici ante operationem minime sedatae motum animi atque angorem opprimere nequeant et jactationibus difficultatem operationi afferant vel plane eam impediant, facilius et breviore tempore anxietatem doloresque adimere possimus. Praeterea maxime respicienda est vis, quam inhalationes in genitalia externa et perinaeum relaxanda habent, praesertim quum partes illae propter nimiam regiditatem in periculo sint, ne rumpantur, et ipsa illa rigiditate forcipis usus indicetur. Quare etiam in hac operatione Chloroformum sine dubio locum semper habebit; attamen dum minus eo utendum quam in versione, in praxi privata saepe ab usu illius abstinendi necessitas nobis imponatur quia in relaxationis statu, qui semper exsistit, a parturiente, quam quidem resistere oportet, parum resistitur ac majore opus est numero adjutorum, quam qui in vita communi comparari possint.

De ceteris operationibus pauca quaedam verba sufficiant. In perforatione et embryotomia haud facile quisquam Chloroformi usum desideraverit, nisi quod casus nonnulli ideo, quod cum alia quadam operatione cohaerent, immutantur. Licet excitationis status, qui ex faciei rubore, citato venarum pulsu, confectione, quam post diuturnum inter partum irritumque laborem parturiens sentit, cognoscitur, Chloroformi usui non obstet (et interdum quidem quando in tempore perforationis indicationes perspiciuntur, haec quoque symptomata desunt) maxime tamen respiciendum mihi videtur illud, proprium perforationis actum, qui est cranii sectio, dolores non exhibere, quia perforatorium cranio tantum foetus admoveatur; in extrahendo autem cranio cerebro exhausto, partus dolores summae sunt utilitatis simulque maxime est optandum, ut quovis temporis momento e parturiente cognoscatur, num in tractionibus alicubi tormina vel punctiones intus sentiat, ut statim causa illorum investigetur, et acutae ossium assulae, si quae exstiterint, vel alia ejusmodi amoveri possint. Si igitur sensu vacua parturiens jacet, facile fieri potest, ut, licet summo consilio et attentione operatio instituatur, graviter illa violetur.

Sectio caesarea quum chirurgica magis quam obstetricia sit operatio, hic summo jure Chloroformi usus locum habet.

Cephalotripsiam cum difficili operatione forcipe instituta, si Chloroformi usum respicimus, comparare licet; quare quum ad haec, quae supra diximus, relegandum sit, eandem tamen, hic dubitationem nobis occurrere oportet, quam in embryotomia et perforatione, quia facillime sane accidere potest, ut acutae ossium assulae per tenuia cranii tegumenta penetrent et dum extrahantur, partes violent.

His quidem expositis quamvis quod mihi proposui pensum absolverim, paucis tamen verbis specimen quoddam commemorare mihi licet, in quo nescio, an Chloroformi usus summam paret utilitatem, experimenta vero nulla omnino exstent; nempe ubi parturientes ipsae jam a primis parturiendi momentis nimia musculorum actione dolores atque labores ne volentes quidem augent, in omni, quam maxime possunt, dolore urgent vel brachia et pedes vehementissime movent, summa vi e lecto sese dejiciunt, omnino in eo sunt statu, qui ad parturientium eclampsiam proxime accedit; quin etiam in hac ipsa eclampsia Chloroformum cum consilio adhibitum nonne nos minus deserat quam cetera omnia, quae adhuc proposita sunt, remedia? Attamen omni hac de re indicio abstinens, aliis viris magis peritis solvendam concedam quaestionem, cujus gravitas aliam et accuratiorem disquisitionem postulat.

Denique pauca quaedam adjicienda sunt de praestantia, qua Chloroformum cum aethere non modo de loco contendit, verum etiam partim gradu penitus eum depellit; respicienda sunt maxime haec:

1. Multo minore opus est copia ad efficiendam crapulam ac torporem: plerumque centum vel centum viginti guttae, saepe multo minus sufficiunt.

2. Effectus multo citius et perfectius exsistit, plerumque post decem vel duodecim spirationes longas, ac diutius perdurat.

3. Chloroformi odor multo jucundior est, nec tantopere in vestibus et spiritu inhaeret.

4. Ipsa inhalatio multo jucundior est, neque respirationis organa tantopere irritat, et ne tum quidem,

quando infirma organorum illorum dispositio, velut catarrhus bronchialis, exstat, molestam illam, tussim et anhelitum efficit, neque, quod maximi discriminis est, illas, quae inspirando aethere exsistere solent, ingentis excitationis accessiones secum fert, quae majorem adjutorum numerum postulant et adhibitionem in praxi privata prorsus fere impediunt. Excitatio vel agitatio, quae in aethere spirando interdum magna cum vehementia et per longum temporis spatium, torporem antecedere, vel etiam inter hunc perdurare solet et operationi perficiendae ferendoque auxilio impedimento est, in Chloroformi usu omnino fere deest, aut obiter tantum cognoscitur. Admota quidem spongia si os et nasus subito praecluduntur, facile explicari potest, si aegroti effectus ignari repugnant et conjunctionem cum aura restituere conantur; sin vero paullatim et caute agitur, plerumque sopor lenis nulloque casu turbatus efficitur; eademque tranquillitas, nullo interjecto casu fortuito, per totum Chloroformi effectus ordinem conspicua est.

5. Proprio ad Chloroformum adhibendum apparatu opus non est; pannum illo madefactum naso et ori admovere sufficit.

6. Vomitus, qui in aethere spirando saepissime exstat ac summam molestiam exhibet, in Chloroformi adhibitione nunquam fere vel rarissime conspicitur.

7. Posteriores quoque effectus, quos aetheris inhalationes, praecipue per longius temporis spatium institutae, secum ferre solent, in Chloroformi usu nunquam vel certe rarissime et tum quidem multo minore cum vi et per brevius tempus sese ostendunt. Huc pertinent maxime molesti in fronte dolores et capitis stupor, quae

quidem apud nonnullas puerperas, inhalato aethere, per complures post partum dies perstiterunt.

8. Molestiam et interdum fastidium circumstantibus et maxime propinquis movent ea, quae inhalato aethere sopitorum statu offeruntur; hic enim prope accedit ad eum, qui sumpto spiritu vini oritur, et ne de musculorum agitationibus initio vehementibus dicam, ex ineptis sermonibus cernitur, qui saepe in obscoenissimis rebus alias alienis ab aegrotis versantur. Quod etiam in vultu perspicuum est, os distorquetur, ita ut rigiditatem quandam et stupiditatem prae se ferat et imperito maxime horrorem incutiat. In sopore autem, qui Chloroformo efficitur, facies quidem itidem deformatur, sed magis collapsa relaxatis oris musculis videtur. Unicum symptoma, quale in sopore aethereo occurrit, interdum temulenta quaedam est garrulitas, quae excusso demum sopore exsistit et plerumque in jucunda specie per somnum aegroto oblata, in sensibus atque opinionibus versatur, quae illi hoc statu afferuntur.

9. Periculum, quod in aetheris usu ob incendium haud immerito timetur et maxime in auxilio parturientibus lato sollicitudinem incussit, propterea quod plerumque noctu auxilium a medico petitur, in Chloroformo locum non habet.

Quibus omnibus pensitatis dubitari nequit, quin Chloroformum aetherem sulphuricum non modo in obstetricia arte, verum etiam in omnibus operationibus chirurgicis merito e loco demoverit; ea quidem, quae diximus, quaestionibus experimentisque futuris confirmatum summoque, quo a multis partibus Chloroformum acceptum est, studio amplificatum iri sperare licet.

VITA.

Ego, Henricus Julius Theodorus Mulert, confessioni addictus evangelicae, Rummelsburgi, urbe Pomeraniae, VIII die Octobris anni MDCCCXXIV patre Theophilo et matre Julia e gente Wittcke natus sum. Gymnasii Cussalinensis testimonio maturitatis instructus vernali tempore a. MDCCCXLIV Halas me contuli et a Prorectore magnifico Pernice civibus academicis adscriptus sum. Ibidem hisce interfui scholis: Ill. de Schlechtendal de botanice; Ill. Burmeister de zoologia; Ill. Steinberg de chemia; Ill. Germar de mineralogia; Ill. Schweigger de physice; Ill. Erdmann de logice et psychologia; Ill. d'Alton de anatomia, et de arte cadavera rite dissecandi; Ill. Friedlaender de materia medica, encyclopaedia et methodologia, de historia medicinae; Ill. Volkmann de physiologia et de anatomia comparata; Ill. Blasius de chirurgia; Ill. Krukenberg de pathologia et therapia generali ac speciali; Ill. Hohl de arte obstetricia. Scholis clinicis interfui medicis Ill. Krukenberg; chirurgicis Ill. Blasius; obstetriciiis Ill. Hohl. — Anno MDCCCXLVII. Berolinum discessi, ubi scholis clinicis interfui medicis Cel. Wolff, Ill. Schoenlein et Ill. Romberg; chirurgicis et ophthalmiatricis Ill. Juengken; obstetriciis Ill. Schmidt.

Quibus omnibus viris, optime de me meritis, maximas ago atque habebo gratias.

Jam vero tentaminibus, et philosophico et medico, atque examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine superatis, spero fore, ut dissertatione thesibusque publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me rite conferantur.

THESES.

1. Scrophulosis et Tuberculosis est idem.
2. Medicus venenis non utitur.
3. Nullus animi morbus, nisi in corpore aegroto.
4. Suicidium semper animi morbum supponit.
5. Mendacium medicis concedendum est, aliis vero minime.